Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Si enim negociator avidus maria contempnit. spec-
tare ausus pugnas rabiemque ventorum. dumque in omni
labore ac periculo. lucrum cogitat: et lassitudinem simul
obliviscitur et timorem. Considera queso magnitu-
dinem premii tui. si tamen considerari potest, quicquid immen-
sum est. Post abcessum anime. post carnis interitum
post favillas et cinerem, in meliorem statum virgo re-
paranda es. mandatum terre corpus in celum elevan-
dum est. et mortale tuum immortalitatis honore mu-
tandum est. Post hec angelorum donanda es consortio.
regnum acceptura celorum. et in perpetuum mansura cum Christo.
Quid igitur retribues domino pro omnibus que retribuit tibi. Quem
tanto remuneratore dignum facies. Aut quem la-
borem durum putabis. cui tanta sunt premia. Unde
beatus apostolus, nulle inquit sunt condigne passiones huius
temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis.
Quid enim dignum vel facere vel pati possumus, in brevi hoc
tempore vite nostre. cum id immortalitate sit repen-
sandum. Propter quod idem apostolus ait. Id enim quod in presenti
seculo est momentaneum ac breve tribulationis nostre, supra
modum in sublimitate eternum glorie pondus operatur in
nobis. Respuantur honores. despiciantur divitie. ip-
sa quoque vita nostra martyrii amore contempnatur.
et hec omnia etiam si perpetuitatis premio non darentur. erant
tamen quandoque peritura. Quam multos memoria nostra
retinet in maximis honoribus constitutos ac divitiis.
repente de illo summo potentie fastigio concidisse.
et eos qui tumore elati aliud quiddam quam homines esse
se putabant, exitu suo tandem nos docuisse quid
fuerint. Quid enim in hoc mundo stabile. Quid
non firmum. Quid porro non breve et incertum. et ca-
sui non serviens. Quale illud bonum est, quod semper
timeas amittere. quod vel metuas abs te auferen-
dum. vel a te relinquendum scias. Nam et si nul-
lo id eripiatur casu. vel morte certe perdendum est.
Et si vita nostra tendatur per mille annos. et ad extre-

+ cum propheta. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego
sicut fenum arui. Quod si etiam hic possumus dicere

mum illum diem totius etatis cottidiana deliciarum
voluptate veniamus. quale illud queso dici est,
quod fine deletur. Aut quis illius voluptatis fructus
est. que statim ut cessaverit videbitur non
fuisse. Age iam transactum vite tempus animo
revolve. Nonne videbitur tibi umbra quedam
fuisse quod transiit. et ad instar somnii tenuis. incer-
tum esse omne quod videtur. Hoc idem et decrepitus
senex sentire potest. cui convenit dicere + ubi quam-
vis brevis tamen quia presens est vita ista magna
penditur. quod in futuro dicturi sumus. ubi maiore
eternitatis scientia transactum omne pro nichilo est.
Hec tu diligenter tecum revolvens. et brevitatem
vite huius eternitatis contemplatione despiciens.
ipsum quoque contemptum mundi maiore ani-
mi virtute contempne. et ad illum tota die para-
te. in quo mundi gloria finienda est. Illum inquam diem
quem salvator diluvio comparavit. qui multos
fallaci securitate deceptos subito ut ait apostolus com-
prehendet adventu. Quem beatus quoque petrus
describens ait. Adveniet autem dies domini ut fur.
in qua celi magno impetu transibunt. elementa autem
a calore resolventur. Cum omnia hec dissolvenda
sint. quales oportet nos esse in sanctis conversatio-
nibus et pietatibus, expectantes et properantes in ad-
ventum domini. die in quo celi ardentes solventur.
et elementa ignis calore tabescent. Recens fac-
tum est, et quod ipsa audisti. cum ad stridule bucine so-
num. gothorumque clamore lugubri oppressa metu
domina orbis roma contremuit. Ubi tunc nobili-
tatis ordo. ubi certi et distincti illius dignitatis
gradus. Permixta omnia, et timore confusa.
Omni domui planctus, et equalis fuit per cunctos
pavor. Unum erat servus et nobilis. eadem omnibus
imago mortis. nisi quia magis eam timebant,
illi quibus fuerat vita iocundior. Si ita morta-